





*[Faint, illegible handwriting on a blank page]*





VOTA GRATVLA-  
TORIA,

Honoribus Doctoralibus,

in

Celeberrimâ Rauracorum Academiâ,

*RECTORE Magnifico,*

DN. JOH. RUDOLPHO BURCKHARDO,

J. U. D. ac Ethices Profefs.

*DECANO Facultatis Medicæ Spectabili, Viro*

*Clarissimo atq; Excellentissimo,*

DN. MARTINO CHMIELECIO, Med. D.

ac Physices Profefs.

*PROMOTORE,*

DN. THOMA PLATERO, Med. D. Anatom.

& Botan. Profefs. dignissimo,

*Ad diem 11. Januarii*

*Anno*

*breVI CorrVet MVnDV s.*

D. IOHANNI DEETZIO, Tor-

gensis-Misnico,

collatis.

SCRIPTA

*à Dominis Competitoribus, Amicis ac*

*Fautoribus.*

~~~~~


B A S I L E Æ,

Typis JOAN. JACOBI GENATHII,

Acad. Typographi.







ACCLAMATIO GRA-  
TULATORIA

AD

*Præstantiss. atq; Doctissimum Virum,*

DN. IOHANNEM DEETZIUM,  
Torgensem Misnicum,

IN

alma Basileensium Academia  
Summis in arte Medica DOCTORATUS honoribus  
meritissimè condecorandum.

I.

**M**AXIMA venturæ dederas primordia famæ  
Argentorati in pulpitis:  
Hoc ubi Rauriacus dexter cognovit Apollo,  
Hic signa nostra perpetim  
Sæctetur dixit: cuncti applausere deorum:  
Queis jungo & applausus meos.

*Gratulabundus adjecit*

ALBERTUS à KRONEGK,  
Nobilis Carinthiac.

II.

**D**EETZIUS, ut dudum sæctatus Apollinis artes,  
Quid velit ac possit sedulitate suâ,  
Comprobat, Exemplo, diram medicando Podagram,  
Quodq; malum miseros impedit articulos:  
Ostendens morbi causas, symptomata, curam;  
Tolli aut leniri qua queat arte malum.  
PHÆBUS id attendens, claro cernebat olympo:  
Lauru tu Medica tempora cinctus eris.

HANC





Hanc ego nunc Laurum, celebri tribuente PLATERO,  
Gratulor hisce Tibi: gratulor, ac voveo,  
Succurras, DEETZI, multis Mortalibus agris;  
Atq; feras Medicam (fac age) certus opem.  
Proq; ope Tu Medica, referas cum nomine honores;  
Et quæ pro sostris ritè sequuntur opes.

Amicitia gratiâ P.

M. LUDOVICUS LUCIUS,  
Acad. Basil. Profefs.

---

III.

CUM cumulatur honos, dicunt, quoque crescere curas,  
Res loquitur verum; monstrant Tua facta subindè:  
En Præfectus eras; nunc Doctor ritè crearis:  
Sic cumulatur honos, curas quoque crescere fas est.  
Ducere retrò pedem, turpe est, juvat usque morari.  
En donare aliis polles medicamina DEETZI;  
Præsta quæsò virum, Medicus Tuus ipsemet esto;  
Inter tot plantas dignas reperire necessum est.  
Prima sit Euphrasia; huic accedat Dulcis-amara;  
His erit Origanum socius, nec non Amaranthus,  
Hisce basin addas, quæ sit sacra Gratia Jovæ.  
Euphrasiam carpas Galeni nominis almi;  
Quæ si turgescet succo passim; inde sequetur  
Dulcis-amara; comes, mihi credas, fidus adhæret  
Origanum, reddens animum mœrore carentem,  
Nec non curantem sudorem; ferre laborem  
Magnum, (Quid multis?) ex omni parte paratum.  
Indubitata comes; mi DEETZI; nunc Amaranthus  
Qui non permittet, Tua nomina cernere fata,  
Sed clarum nomen laudabit perpete voce,  
Tristia fata viris miseris tardando subinde.  
Hæc benè quò cedant, usque adsit Gratia Jovæ.

FRIDERICUS FLACHT. D.

---

X





I V.

Sola mori nescia VIRTUS.

COR, DE ET ZI, Charitum, lux Sophia, Dea.

Cultorq; Aonia, delicia mea.

Si quid Vasta soli machina continet,

Jovæ & dextera sustinet,

Num longum remanet? Lativago in solo

Excrescit, stabile & fit mage sub Polo?

Vix est vivus homo! vix mora, non erit;

Flos est: hora abit, hic perit.

Arbos fertilis est? tempore at it brevi

Vulcani in cineres, igne perit levi.

Virtus sola mori quàm-benè nescia;

Hæc durans; præit omnia!

Claudat sæpè licet quàm breviusculo,

Quod tentat, peragit sedulo, opusculo;

Usus sed remanet magnus ad ultima

Mundi quàm-benè stamina.

Isthmis Parrhusius septus acumine

Artis quàm brevibus, num modo lumine

Vernat peniculi, tollitur & viget?

Ceu antehac, mage nunc nitet?

Præstans arte Scopas, numina saxeæ

Divorum facilis sculpere, lignæ.

Doctus fortè magis, vivit an is Scopas?

An vivit quoq; Phidias?

Vita jam superans pensa Maro suæ

Dudum, ac exuperans Tullius arduæ:

Cunctorum attamen Ars, Gloria nominis,

Fata hic claret ad ultima.

Vir virtute vires: vive, DE ET ZI, in dies,

Te donec Domini sustinet hic quies.

Gaude: post obitum vivus eris magis:

Namq; ut sis, studio hoc agis.

Suiamantis. Dn. Competitori gratulatur

M. SIMEON PARTLICIUS Trifschin. Marcoman.

V. Quò d.





## V.

**Q**UOD si ritè novis sunt Carmina danda triumphis,  
 Hæc meritò dantur dulcis amice tibi.  
 Namque Machaonias tractasti haud segniter artes;  
 Scisque salutaris, quævé sit herba nocens.  
 Ergo triumphali cingit tibi tempora lauro,  
 Qui Medici fertur præses APOLLO chori.  
 Gratantur M u s æ: quid ni præeuntibus illis,  
 Optem tam festâ prospera quæque die?

*Honori novo P.*

PETRUS Schnürlein / Regiomont. Borufs.

## VI.

**A**NNORUM cursus gratatur amicus amico  
 Vita qui fragilis annumerare dies;  
 Nonne ego jure tibi Solem gratabor ovantem  
 Qui apponit titulos lætus (amice) novos?  
 Hos tua promeruit virtus, prudentia rerum  
 Assiduo ingenii parta labore tui.  
 Laurus sic vigeat, patulos sic spargat in orbem  
 Ramos, ut celerem sentiat ager opem.

*Honoris ergò apposuit*

M. JOSEPHUS MICKLETVATIUS  
 Anglo-Britannus.

## VII.

**I**LLUSTRES DEETZI, generoso à sanguine gnatum,  
 Commisère tuæ fidei, curæque, parentes:  
 Moribus ut formes, doceasque fideliter artes,  
 Te duce, perlustret terras, gentesque remotas,  
 Gallos, cum Belgis, Germanos atque Britannos,  
 Helveticos videat montes, ac Regna Sabaudi:  
 Imposito tibi quo benè munere fungeris, ultrò &  
 Sicelides divas studio haud sectaris inani.  
 Nam Rheni ad ripas, te fortiprehendit Hygeja,

) 3



Nonque prius voluit niveis demittere ab ulnis,  
Quin dederit Medicæ tibi summos artis honores.  
Gratulor ergo tibi, toto, Charissime DEETZI,  
Ex animo, atque precor, maneat tua FAMA perennis.

*Commensali & amico meo dilecto Basileæ deproperabam*

JOAN-CHRISTOPHORUS Reichardt/  
Argentin.

IIX.

**E**HEU! flagello ut verberat aspero  
Orbem paternum Mariis atrocitas,  
Spiranti que passim cuncta diram  
Perniciem, lachrymas, dolores.  
O si quis arctis claudere possulis  
Vellet bifrontis numinis ostium;  
Sævamque Bellonam catenis  
Stringere; ne violenta semper  
Orbaret almam conjugii fidem,  
Natosque matrum subrahcret sinus:  
Illi quotannis sacra multa  
Perficerent tenera bidentes.  
Ergone iristi de arbore barbiton  
Suspendam? & ipsam Melpomenen mea  
Fessus vocabo in vota? lævæ auri  
Nunquam aderunt bona signa mēis?  
Ut Phœbus inter nubila sæpius  
Aurata promit spicula, sed brevi  
Obnubit atro vultum amictu;  
Sic strepitus ego Mariis inter

Meis precabor prospera amiculis,  
Novisque plaudam lætus honoribus;  
Vires dein totas profundos  
In gemitus patriæ resolvam.  
DEETZI Minerva delictum sacræ,  
Quis non honori, quem tibi Cynthius  
Decernit, arriat? vivere  
Perpetuè cupit & corollam?  
Tibi parentis cognita sunt sacra  
Natura, & hostem pellere quæ sient  
Morbum potentes herba, ad unguem  
Perdidicisse fuit facultas.  
Asclepio nunc jungeris ordini,  
Suffragiis cunctis procerum benè  
Spirantibus. Nunc mæstiores  
Linquet inops patiens quæ relas,  
Es te Galenum, teque Machaonæ  
Clamabit ævi gloria posteri,  
Functum que fatis, aggregabis  
Hippocrati, Medicæque urbæ.

Commensali suo ex animo gratulatur

JOHANNES SCRETA Schotnovius  
à Zavorzitz Bohemus.

IX.

**E**CCE, tibi ut fidæ præstem conamina mentis,  
Hæc addo titulis paucula vota tuis.  
Ipsa tibi Medicam moderentur numina dextram,  
Ne frustra imploret languidus æger opem.

*Commensali suo suavis. P.*

FRIDERICUS Nebhuen/ Colnhovio-  
Pomeran.

X. MIS-





---

X.

**M**ISNICA te tellus genuit, quæ Misnica tellus  
Eximios aluit Palladis arte viros.

Hos inter DEETZI, tibi laus non ultima; namq̃

Solari infirmos Palladis arte vales.

Ergo tuæ meritò virtuti digna capeſſis

Premia, quæ doctâ dat Basilea manu.

Ito igitur, patriamq̃, redux invifito gratus

Terram, quæ tacitâ te modò voce petit.

Vive diu felix: Deus & tua cœpta ſecundet,

Quò Medicâ multos arte levare queas.

Honoris ergò appoſuit

ALBERTUS BAKE Bremenſ.  
Saxo.

---

XI.

**V**IRTUTIS fano fanum conjunxit Honoris  
Præclaris olim ſplendida Roma viris.

Quæ quia continuo rapacis temporis auſu,

Hoſtiliq̃ue jacent dilacerata manu:

Virtutis fano fanum conjungit Honoris

Splendida præclaris nunc BASILEA viris.

Quæris, Ubi? monſtrare jubes, Clariffime DEETZI?

Hoc nemo meliùs te tibi monſtrat opus.

Inclyta quò fauſto duxit te tramite VIRTUS,

Obvius hîc etiam nunc tibi fertur HONOS.

Cedas, Roma vetus: cedant tua fana caduca.

Immortale vides hîc opus, atque viros.

Am. grat. e. p.

THEODORICUS RESCHINGEDER  
Neuburgo-Pal.

---

XII.

**Q**UAM tua promerita eſt jam dudum ſplendida virtus,  
Ac exantlatus nocte dieq̃ labor:

Summa tibi Medicæ nunc Laurea jungitur artis,

Hinc & amicorum plaudit, ovatq̃ cohors.

Cui





Cui candore pari cū me, Clarissime DEETZI,  
Annumeres, partes hæ quoq, sunt mea.  
At quia syncerum verborum copia pectus  
Non subit, hoc unum, Gratulor, esto satis.

Gratulatur

CHRISTOPH. BARTHOLOMÆUS MERCLIN  
Palat: Med: Stud:

XIII.

**N**ON ego confinxi, nec fluxi ex unguibus illa,  
Quæ tibi non pridem vaticinatus eram.  
Ecce moræ impatiens Tritonia virgo laboris  
Præmia, nuper erat quæ meditata, refert.  
Artibus & bellis nosti præesse Minervam,  
Cui Medicus dextram jungere Phœbus amat.  
Militiam ô suavem, quam duxti! ô suavia castra!  
Quæ tam magnus honos, tanta trophæa manent.  
Ergo novis gaude titulis, Clarissime DEETZI,  
Pallade belligerâ, quos præeunte capis.  
In vario contra morbos certamine fortis  
Hactenus, ast alio sub Duce, miles eras.  
Lethiferam contra maciem febriumque cohortem  
Deinceps, ast alius TE Duce, miles erit.

L.

ELIAS GEISELBRUNNERUS Augustan.  
Φιλίατε ©.

XIV.

**Q**UUM videam ad Laurum Medicâ te in arte supremam  
Adspirare, tibi gratulor & gradui,  
Artifici dextrâ qui stannea γράμματα suevi  
Colligere, ac thecis pono repono suis.

J. J. G.

Μόνω τῷ Θεῷ δόξα.



✓  
00 A 6436

ULB Halle 3  
004 931 300  



KD 18











B.I.G.

Farbkarte #13

21

AT V L A -  
 I A,  
 octoralibus,  
 corum Academia,â,  
*Magnifico,*  
 O BURCKHARDO,  
 ices Profefs.  
*Medica Spectabili, Viro*  
*excellentiſſimo,*  
 IELECIO, Med.D.  
 Profefs.  
 ORE,  
 RO, Med.D. Anatom.  
 digniſſimo,  
*Januarii*  
 o  
 t MVn DV s,  
 EETZIO, Tor-  
 ſnico,  
 is.  
 P T A  
 toribus, Amicis ac  
 ribus.  
 L E Æ,  
 BI GENATHII,  
 ographi.